

**Bryn Mawr College
Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr
College**

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special
Collections, Digitized Books

1841

Emendationes Aeschyleae

Friedrich Wilhelm Schneidewin

Dissertation

[Let us know how access to this document benefits you.](#)

Follow this and additional works at: <https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>



Part of the [Classical Literature and Philology Commons](#)

Custom Citation

Schneidewin, Friedrich W. *Emendationes Aeschyleae*. Gottingae: Dieterich, 1841. Print.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College. <https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/110>

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

I N D E X
S C H O L A R U M
P U B L I C E E T P R I V AT I M
I N A C A D E M I A
G E O R G I A A U G U S T A
P E R S E M E S T R E H I B E R N U M

A N N I M D C C C X L I — M D C C C X L I I .

H A B E N D A R U M

P E R D I E S A X X V . U S Q U E A D X X X . O C T O B R I S
I N C I P I E N D A R U M
P E R D I E S A X I V . U S Q U E A D X I X . M A R T I
F I N I E N D A R U M .



Schneideum

Praemissae sunt Emendationes Aeschyleae.

G O T T I N G A E
T Y P I S E X P R E S S I T O F F I C I N A D I E T E R I C H I A N A .

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR

PRID. BERCMANN D.
CUM SENATU.

Aeschylearum fabularum studium apud Anglos florentissimum cum apud nostrates multos per annos iacuisset, sive quod in C. G. Schuetzii curis acquiescerent, sive quod singulari summi poetae difficultate perversissimisque criticorum Francogallicorum iudiciis absterrerentur, sive denique quod principem grammaticorum nostrae aetatis, qui ante hos iam quadraginta annos spem editionis fecerat, expectandum censerent: inde ab aliquot Iustis ita illud resuscitatum est, ut doctissimi homines vel in emendando vel in explicando poeta certatim elaborare gestiant. Nam postquam A. Wellauerus verba poetae a Schuetzio, Bothio aliis licentius demutata ad fidem librorum veterum laudabili studio revocavit artique criticae unde tuto proficisceretur substravit idoneum fundamentum, F. G. Welckerus autem ingeniosissimus de arte tragica Aeschyli commentationibus animos hominum ad poetam mirifice convertit, non defuere, qui in singulis fabulis illustrandis haud contemnendam operam collocarent. Et nuperrime F. Bambergerus, qui iam antea de poeta suo singularibus libellis eximie meruisset, difficillimam fabulam ita edidit, ut et multa scripturae vitia felici acumine ingenii removerit et singulorum locorum universaeque fabulae intellectum saluberrimis notationibus praecipue adiuverit. Verum enimvero Choeophoroe, Orestiae fabula media, tantis obruta est difficultatibus, ut vix in hominem cadere videatur, omnes ita expedire, nusquam ut adhaerescas. Quare qui huius fabulae miserrimam condicionem cognoverit, in cuius caussas scite inquisivit vir immortalis, qui indeabile nobis desiderium reliquit, in Zimmermanni Diar. Philol. 1836, 1. p. 14 sqq., is non mirabitur, nec Bambergerum omnia enodasse et restare quae aliis indaganda reliquerit. Nos igitur locis aliquot nondum persanatis medicinam, si possimus, allaturi exploratis prius iis quae doctis hominibus placuisse accepimus, nostram sententiam conabimur reddere commendabiliorem.

Miserat Clytaemnestra diro somnio exterrita cum choro captivarum Trojanarum ad inferias Agamemnoni, quem somniorum interpretes irasci monuisserunt, fundendas filiam Electram. Ea quid potissimum in offerendis libaminibus sibi proloquendum esset a choro edocta invocatis diis inferis ad compellandum patrem his verbis se confert, verss. 121 sqq. (129 sqq. Well.):

*Kαγὼ χέουσα τάσδε γέρνιβας βροτοῖς
Λέγω, ναλοῦσα πατερό, ἐποίητειρόν τ' ἐμὲ
Φίλον τ' Ορέστην, πώς ἀνάξομεν δόμοις;*

Sic fere codices. Versu primo Mediceus supra voc. βροτοῖς monstrat γρ.

νευροῖς, quam correctionem esse grammatici prodit id quod in Guelf. ex alio fonte ducto voci *βοτοῖς* idem *νευροῖς* supraposatum visitur. Placuit haec scriptura R. Engero de Aeschyleis antistr. responss. p. 7. Nam *βοτοῖς* quidem vix ullo pacto poterit defendi. Neque enim cum Stanleio ita tuebimur, ut cll. vers. 117. τοῖς γῆς ἔνεργοθε βοτοῖς audiamus, qui diis inferis ante invocatis opponantur; neque rursus cum Klausenio hanc vocem a verbo *χέονσα* violenter divulsam ad *χέρνιβας* retrahemus, ut hoc dativo brevius ostendatur idem quod est v. 84. ὡς τούτος βοτοῖς ἐστι. Tam contortas machinas hodieque adhiberi mirere: sed Klausenius ubique aperta et plana spernit; difficilia et obscuria captat. Si Aeschylus illam sententiam efferre voluisse, debuerat *βοτῶν* ponere, quod ipsum Henr. Lud. Ahrens noster rescribendum arbitratus est in censura libri Bambergeriani Hall. ALZ. 1841, nr. 68. p. 538. Verum id et mire languet nec praesidium habet in v. 476. δαιτες ἔννομοι βοτῶν, ubi ἔννομοι adiectum efficit, ut color sententiae immutetur. G. Hermannus olim Observatt. Critt. p. 63. φθιτοῖς proposuit, cll. Perss. v. 215. Δεύτερον δὲ χοῇ χοὰς Γῆ τε καὶ φθιτοῖς χέσοθαι. Sed hoc pariter atque *νευροῖς* h. l. videtur latius patere quam quod aptum iudices, cum unius patris auxilium expetat regia virgo. Sufficeret, opinor, πεδοῖ, h. e. in *tumulum patris*, sed infra probabiliorem emendationem exprompturi sumus. Ceterum forma πεδοῖ Aeschylus adamata (Prom. 272.) pluribus locis nunc obscurata est, vid. Bambergerum ad v. 606., eademque fortasse reddenda Eum. 253. Τὸ διερῶν πέδῳ χύμενον οἴχεται, v. 457. ἵὸς ἐν φρονημάτων πέδῳ πεσών, et v. 623. Τὸ μητρὸς αἵμ’ ομαίμουν ἐπέκεις πέδῳ, cll. Choeph. v. 43. Aeschylus ubique ΠΕΔΟΙ scriperat, quod qui ἀοχαίαν ομηασίαν mutarunt grammatici non ubique videntur recte interpretati esse. Cum sententia confer v. 156. Ἔχει μὲν ἥδη γαπότους χοὰς πατρός. v. 79. Τύμβῳ χέονσα τάξεις μηδείους χοὰς. v. 84. Χέονσα τόνδε πέλανον ἐν τύμβῳ πατρός, cll. Soph. El. 432 sqq.

Difficiliora quae proxime secuntur. In quibus qui primus offendit Des. Heraldus, haec ita emendabat:

*Κάγῳ χέονσα τάξεις χέρνιβας, χοὰς
Λέγω, καλῶ σε, πάτερ, ἐποίητειον τ' ἐμὲ πτλ.*

Ubi quis aequo animo ferat et non Aeschyleae orationis magnificentiae prorsus incongruum iudicet illud *χέρνιβας*, *χοὰς λέγω*? Quasi deceat Electram in eo luctu commonefacere, *χέρνιβας* iam non dici τὸ ἐπιχέομενον χερσὶν ὅδῳ, sed a qua m lustralē! Illud tamen sensit Heraldus, orationem ad patrem ipsum debere flecti, ut in superioribus Mercurium ipsum invocaverat Electra. Verum cum oratio deinde per particulam πῶς, quam ἀντὶ τοῦ ὄπως positam nugatur scholiasta, cum praegresso imperativo ἐποίητειον non satis apte iungi videretur displiceretque verborum iunctura καλοῦσα πατέρ, ἐποίητειον τ' ἐμέ, diversissima excogitarunt grammatici, quibus illam orationis asperitatem levigarent. Primus Stanleius in curis secundis ἐποίητειον γ' ἐμὲ coniecit, πῶς ἀνάξομεν δόμοις (quomodo imperabimus in aedibus) patienter tulit. G. autem Hermannus l. c. „quae illa”, inquit, „tam praefracta est et plane rudis verborum nectendorum ratio, καλοῦσα πατέρ, ἐποίητειον τ' ἐμέ?” Quare totum locum ita refingebat:

*Κάγῳ χέονσα τάσδε χέρνιβας φθιτοῖς
Λέγω, καλοῦσα πατέρο, ἐποίητε ἡρειν ἐμὲ,
Φίλον τὸν Ορέστην, ὃς ἀνάξομεν δόμοις.*

„Ego quoque (?) has inferias diis manibus affero, et patrem invocans oro, misereatur mei atque Orestis, ut tandem potiamur (?) laris nostri.“ In hac scriptura primum offendit infinitivus, quem Ahrentem quoque l. c. describi iubere mirationem facit. Non facturus erat, si considerasset quae statim secuntur:

*Πεπομένοι γὰρ νῦν γέ πως ἀλώμεθα
Ποδὸς τῆς τεκουσῆς, ἀνδρα δ' ἀντηλλάξατο
Αἴγισθον, ὅσπερ οὖν φόνου μεταίτιος.*

Et v. 129. *ἐν τοῖσι σοὶς πόνοισι*, 131. *Κατεύχομαι σοι, καὶ σὺ κλῦθι μου, πάτερ* et sic ubique. Hinc apertum est imperativum a libris oblatum se habere rectissime. Deinde Hermannianaem emendationem aliud obstare videtur. Non urgebimus, quae est Blomfieldii observatio, futurum verbi ἀνάσσειν apud Atticos scriptores frustra quaeri: illud nos male habet, quod miserrima Elektra cum miseratione non pulchre spes longas copulatura videtur. Miti animo virginis ab omni auxilio destitutae verbum ἀνάξομεν (*βασιλεύσομεν* schol.) disconvenit, nec cum v. *ἐποίητειον* videtur bene coire. Quare Klausenius confugit ad v. *ἀνάγειν*, quomodo eum in aedes reducamus. Sed ea significatio illius verbi parum firmamenti habet in loco Iliad. O, 29. (fuere ibi qui *ἀπήγαγον* scriberent.) et aliena est ab Agam. v. 612. (948. perperam Klausenius laudat). Ubique de reduce Oreste *κατελθεῖν* usurpatum, ut v. 5., et *κατάγειν*, ut Agam. 1256. 1589. 1631. Adde quod tenor sententiae et Klausenii explicationem et Blomfieldii hanc emendationem:

Φίλον τὸν Ορέστην πως ἀναξον εἰς δόμους

videtur respuere. Nam ut Orestes aliquo modo reducatur, versu 130. demum patrem exorat: *Ἐλθεῖν δ' Ορέστην δεῦρο σὺν τύχῃ τινὶ Κατεύχομαι σοι καὶ λ.* Solet autem sermo Aeschyleus severo nexus progedi.

Quae adhuc explicuimus, facile convellunt et Wellaueri conatum, qui servata librorum memoria post v. *Ορέστην* colo posito verba *πῶς ἀνάξομεν δόμοις*; in interrogationem subito erumpentem illigabat. Postremo Bothius, qui olim in alia omnia abierat, nuper *ἐποίητειον* τὸν ἐμὲ *Φίλον τὸν Ορέστην πως ἀνάξομεν δόμοις* dedit, adjunctis his: „Graecorum haec more copulata sunt, quo fere sensu Latini dicerent: si te misereat mei, fac ut Orestes aliquo modo reducatur de exilio, vel misereat te mei, ut Orestem recipiam.“ Quae ratio non una parte laborat. Primum sententia: nam Oresten redire non consequens est ex miseratione patris; deinde loquendi ratione: nam Graeci in illa nervosiore conformatio apodosis, qua post rem imperativo expetitam statim alteram locum habere significant, aut *καὶ* ponunt aut nullam particulam: *τε — τε* locum nec habet, nec per potestatem suam potest habere. Veluti Pindarus Pyth. IV, 165. *Τούτοιν ἀεθλον ἔσαν τέλεσον καὶ τοι μοναρχεῖν καὶ βασιλεύειν ὄμιννυ προήσειν.* Aristoph. Plut. 1027. *Τί γὰρ ποιήσει φράξε, καὶ πεπομένει;* alia suppeditat Fr. Ritschelius Schedd. Critt. p. 21 sq. Nullam particulam habet Pindarus Nem. IV, 37., in quem locum Disseniens sic explicat Homer. Iliad. Ψ, 71. *Θάπτε με ὅτι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω,* ubi *ἴνα* vel *ὄπως* suppressum statuit Aristar-

chus. Utramque rationem imitantur Romani, v. exempla V. Loersii in Ovid. Tristt. p. 375 sqq., nec nos in commotiore sermone refugimus. — Denique quod Ahrens l. c. subdubitanter coniecit ὅπος ἀνάξι εἴδομεν, eius patrocinum nec iam ipse vir praestantissimus suscipiet.

Si paucis complectamus quae adhuc exposuimus, in confessis est, Agamemnonem ipsum vocari, de Oreste reducendo nondum esse sermonem, denique de imperio aedium sibi Orestique comparando vix licere cogitari. Patris autem compellatio apte praemunitur verbis *καλοῦσα πατέρα*, similiterque vocaltivis, cuius vices verba *καλοῦσα πατέρα* gerunt, immiscetur Prom. 91 sqq. καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἥλιον καλῶ, *Ιδεοθέ μ' οὐλ.* Alterum autem imperativum in sequentibus verbis occultari τε particula, quae est post v. ἐποίητειον, credibile reddit. Quare nihil remanebit offensionis, si nobiscum omnem locum in hanc speciem redintegraris:

Κάγῳ χέονσα τάσδε χέονιβας πατρὶ,
Λέγω, καλοῦσα πατέρο, ἐποίητειον τ' ἔμε
Φίλον τ' Ορέστην, φως τ' ἄναψον ἐν δόμοις.

Egoque fundens has inferias patri, dico, vocans patrem, miserere mei carique Orestis et lucem incende in aedibus. Nunc sibi respondent ἐποίητειον τε (ἔμε φίλον τ' Ορέστην) et ἄναψόν τε. Ipsa imagine nihil aptius. Supra v. 46 sqq.

Αγῆλοι βροτοστυγεῖς
Διόφοι καλύπτονοι δόμους
Δεσποτῶν θανάτουσι.

Confer locum v. 763 sqq., corruptissimum illum quidem, sed cuius imago pelluceat διὰ δυοφερᾶς καλύπτοις. Transferri voces φῶς, φέγγος similia ad laetitiae, salutis significationem, oppositam tenebris, vel ex Homericō φῶς ἔταροισιν ἔθηκε satis constat. In deliciis eae imagines Aeschylo: Perss. 292. Ἐμοῖς μὲν εἰπας δώμασιν φάσος μέγα καὶ λευκὸν ἡμαρτυρίας ἐν μελαγχίμον. Agam. 23. 508. Ἡσει γάρ ύμιν φῶς ἐν εὐφρόνῃ φέρων Καὶ τοῖσδε ἀποσι κοινὸν Αγαμέμνων ἄναξ. Sed ne quem moretur nostrum ἄναψαι tanquam cothurno indignum: cum vulgari sermone tritum esset πῦρ ἄναψαι, Aeschylus — qui infra v. 817. de Oreste dixit ἢ πῦρ καὶ φῶς ἐπ' ἐλευθερίᾳ δαίων — dixit φῶς ἄναψαι. Compara in ipsa dissimilitudine simillimum locum Sophoclis Scyr. fr. 497., ubi Ulixes Achillem increpans:

Ἄλλ' ὦ τὸ λαμπρὸν φῶς ἀποσβεννὺς γένοντος.

Nec aliter Tryphiodorus v. 425 sq. πᾶσιν ἐλεύθερον ἡμαρτυρίαν Ζεὺς Κρονίδης*).

Cum autem perget Aeschylus:

Πεπραμένοι γάρ νῦν γέ πως ἀλώμεθα
πρὸς τῆς τεκούσης, ἀνδρα δ' ἀντηλλάξατο οὐλ.,

subita in diversam imaginem declinatio neminem offendet, qui Aeschyleae ve-

*) Φῶς et πῦς commutantur cum alias tum apud Frontonem de Eloq. 9. p. 93. Niebuhr. *Εἴ ἡμέρα ἔστιν, φῶς ἔστιν, ubi codex πῦς.* Nobilem illam Chrysippi conclusionem praeter alias perstringit Ausonius Edyll. XVII, 17. *Hinc omnis certat dialectica turba sophorum. Est lux: estne dies ergo? Non convenit istuc.* Vide Theod. Bergkii de Chrysippi libris περὶ ἀποφασιῶν (Cassell. 1841.) p. 38.

nae benigitatem reputaverit. Is enim cum saperet pleno pectore, omnia tam signatis imaginibus ob oculos ponere studebat, ut altera alteram truderet. Vide, ne longius abeamus, v. 193 sqq., ubi postquam Electra se et Oresten nautarum instar tempestate in alto iactari dixit, addit, si cui detur, ut salutem impetrat, *συνεργοῦ γένοιτο ἀντιστάτος μέγας πιθανόν.*

Eandem lucis et tenebrarum imaginem in alium quendam locum huius ipsius fabulae de divinatione inferebat Schuetzius. Dicimus v. 230 sqq. (238 sqq.), ubi Electrae verba ad Oresten conversae haec sunt:

Ω τερπινὸν ὄμμα, τέσσαρος μοίρας ἔχον
 Ἐμοὶ προσανδάν δ' ἐστ' ἀναγκαιώς ἔχον
 Πατέρα τε καὶ τὸ μητρός ἐσ σέ μοι φέπει
 Στέργηθρον· ἡ δὲ πανδίκως ἔχθαιρεται·
 Καὶ τῆς τυθεισῆς νηλεῶς ὄμοοπόρου·
 Πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἥσθ', ἐμοὶ σέβας φέρων
 Μόνος· Κράτος τε καὶ Δημοσίη σὺν τῷ τρίτῳ
 Πάντων μεγίστῳ Ζηνὶ συγγένοιτο μοι.

In hoc tenerrimi affectus sermone, quem poetam ad Andromachae Homericæ nobilissimum exemplar Iliad. Z, 429 sq. assimilasse apertum est, Schuetzius vers. 235. pro *σέβας* voluit *σέλας*, h. e. lumen mihi afferens, novae scilicet et adhuc inusitatae felicitatis, si modo tibi (*cot* enim legit) Robur et Vis et Iuppiter assistant. Ultima satis declarare, *σέλας*, non *σέβας*, legendum esse; nam reverendum fuisse fratrem sorori, etiamsi rem adversus patris interfectorum male gessisset.

Fefellit Schuetzium Turnebi conjectura pro v. *Mόνος*, quae est codicum scriptura, *Mόνον* temere inculcantis. *Σέλας* autem ut concedamus translate usurpari potuisse pro laeta sorte — quamquam exempla desideramus —, ab huius profecto loci indole prorsus abhorrente accurata enarratio facile persuadet. Dicit enim Electra, Oresten fratrem sibi quattuor vices praestare sive quattuor partes sibi agere. Illum sibi esse patrem, Agamemnone obtruncato, matrem, Clytaemnestra enim scelere commisso indigna eo nomine; sororem, cum Iphigenia immolata esset; denique fratrem. Sed cum Orestes Electrae frater esset *φύσει*, non *θέσει*, non poterat haec sententia eodem gradu collocari cum reliquis ita, ut simpliciter diceret poeta: Tu mihi pater, mater, soror et frater es. Quid vero ex vulgata scriptura Electra? *Πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἥσθα*. Haec torserunt interpretes, quorum Stanleius fidus frater es transferens difficultatem dissimulavit, Bothius imperfectum *ἀργοστῶς* dictum opinatur, quod quid sit non habemus dicere; Klausenius circumloquitur: frater fidus eras iam antequam reliquorum omnium loco mihi diligendus eras, qui unus mihi honorem restitus, eum neque a patre, neque a matre, neque a sorore in vivis adiuver. Haec indigna quae operose confutes. Pessime *ἐμοὶ σέβας φέρων* mihi honorem restitus explanat Klausenius, nec melius Bothius mihi honorem ferens, h. e. habens, ut qui etiam mei caussa redieris in patriam. Verum illa verba non possunt sonare nisi qui mihi affers id quod venerari possim. Ut v. 156. *σέβας ὡς δέσποτα*; Agam. 1501. *Ἐρμῆν, φίλον μήρυνα, μηρύνων σέβας*. Nimirum antea non habebat Electra, in quo veneratio ipsius et pietas acquiesceret. Iam cum hac sententia concilia imperfectum et videbis frustra esse.

Hoc enim ostenderet: „Tu mihi es pater, mater, soror et fidus frater eras, qui mihi afferas quod venerer.” Haec non coeunt. Reddamus poetae:

Πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἵσθ', ἐμοὶ σέβας φέρων Μόνος.

Iam hoc dicet Electra: Tu mihi es pater, tu mater, tu soror; frater autem fac ut mihi sis fidus, qui quidem mihi solus afferas id quod venerer. Cum imperativo — ἥσθ' et ἵσθ' sunt confusa Sept. Theb. 1044. et alias — vide quam pulchre consonent sequentia:

Μόνος· Κράτος τε καὶ Δίην οὐν τῷ τρίτῳ

Πάντων μεγίστῳ Ζηνὶ συγγένοιτό μοι.

Hanc librorum scripturam cum Klausenio reduxit Bambergerus, sed idem tamen dubitat, utra lectio praestet, *Μόνον Κράτος τε an Μόνος· Κράτος τε* (vel δέ). Nobis certissimum est, unam veram esse fidem codicum. Id enim instituta sententia flagitat ut dicatur: In te mihi sunt *quattuor* partes — qui mihi mortalium *unus solus* afferas quod venerer. Sed probatis his scabrities tamen quedam orationis remanet cum offensione aliqua. Etenim Electra, si libros sequimur, optat, ut *Κράτος* et *Δίην* et *Ζεύς* praeter Oresten sibi opitulentur. At id omnem fidem excedit, tam feram personam et ad omnem humanitatis vocem obturatum, qualem in Prometheus Aeschylus cum *Bίᾳ* exhibuit *Κράτος*, a tenera virgine in partes vocari eandemque cum ipsa divina Iustitia consociatam! (Nam loci qualis hic est Soph. Electr. 476. *Δίην δίναια φερομένη χεροῦν πρότην*, toto caelo distant). Illam potius sententiam requirimus, ut in uno Oreste et venerationem sibi extare dicat et fiduciam, *κράτος*. Et mirum profecto, quod per universum trilogiae decursum alia omnia invocantur numina, ut v. 678 sqq. Suadela et Mercurius, nusquam *Κράτος*. Quod desiderari dicebamus, facili mutatione lucrabimur hac:

Πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἵσθ', ἐμοὶ σέβας φέρων

Μόνος πρότος τε· καὶ Δίην οὐν τῷ τρίτῳ

Πάντων μεγίστῳ Ζηνὶ συγγένοιτό μοι.

Sin quis in iunctura ultimae sententiae haerebit, praesto est haec emendatio:

Μόνος πρότος τε· ἀλλ' ή Δίην πτλ.

Unam *Δίην* *σύμμαχον* φίλοις a patre submitti vult Orestes vers. 478. eamque in ipso discriminine affuisse celebrat chorus vers. 902 sq. Nec quenquam illud cruciabit, quod Electra medullitus commota ad Oresten suum, qui ipsi omnia esset, *Δίην* et ipsum Iovem tertium accedere facit. Similiter Eteocles Sept. c. Theb. v. 1066 sq. cum diis et ipso Iove committitur.

Ceterum quod Schuetzius in fine *σοὶ* coniecit, temere videtur fecisse. Nam Electra ubique ita loquitur, ut et prospera et pericula ad se quoque pertinere dicat. Quare aut *μοι* stabit, aut, quod magis credimus, *νῷν* reponendum est. Utrumque facile poterat commutari, si cogites, primariam fuisse scripturam *ΝΟΙΝ*. Certe vers. 271. (279.) non dubitamus, quin oppositionis ratio flagitet, ut pro vulg. δὲ *νῷν νόσους* reddatur δ' *ἐμοὶ νόσους* (*ΛΕΜΟΙΝΟ-ΚΟΥΣ*), cum poenae ab Apolline Oresti monstratae ipsum solum, non sororem attingerent.

Quae illum versum excipit oratio Orestis, statim ab initio mendosa est. Ita enim nunc edunt:

Ζεῦ, Ζεῦ, θεωρός τῶνδε προγμάτων γενοῦ,
cum libri omnes miro consensu formam Ionicam *προγμάτων* praebeant.

Quam quis non miretur suscepisse Klausenium? Immo Aeschylus scripsisse videtur:

Ζεῦ, Ζεῦ, θεωρὸς τῶνδε πημάτων γένον.

Firmant sequentia. Unum addimus, utrumque in codicibus configlere Prometh. v. 973.

Haec praefati vos, cari commilitones, cohortamur, ut ad largas dapes omnigenae doctrinae, quas vobis in proximam hiemem apparavimus, alacri animo accedatis iisque sapienter fruamini.

P. P. in Acad. Georgia Augusta mens. August. MDCCXL.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

G. CHR. FRIDERICUS LÜCKE, Dr., privatim hor. IX-X. senis lectionibus interpretabitur *Evangelium et Epistolas Ioannis*; hor. XI-XII. quinis lectionibus docebit *Dogmaticam Christianam. Exercitationes utriusque societatis theologicae, et exegitiae et dogmaticae, consueto more modoque moderari perget.*

IO. CAR. LUD. GIESELER, Dr., publice *Historiae ecclesiasticae partem tertiam* tradet quinis per hebd. horis h. V.; privatim *eiusdem historiae partem primam* senis h. VIII. enarrabit, et *Historiam dogmatum* quinis h. IV. Praeterea *Societatis suae theologicae exercitationes* moderari perget.

IO. G. REICHE, Dr., *Epistolas Ap. Pauli minores, ad Galatas, Ephesios, Colossenses, Philippenses atque Thessalonicenses datas* h. IX-X. senis horis interpretabitur. h. XI-XII. quinis horis *Isagogen in NT. libros historico-criticam* tradet. Publice *epistolam ad Hebraeos* h. III-IV. diebus Lunae et Veneris interpretabitur.

ERN. RUD. REDEPENNING, Dr., publice *Seminarii Regii homiletici exercitationes* solito more moderabitur die Merc. h. II.; privatim *Iesaiae vaticinia* interpretabitur quinques h. X.; *Theologiam practicam universam*, i. e. doctrinam *de Regimine Ecclesiastico (Theorie des Kirchenregiments)*, *Liturgicam*, *Homiletices* et *Catechetices* praecepta, denique doctrinam *de Cura animarum* tradet quinques, quater h. III., semel die Saturni h. X. *Societatis exegitiae sodalibus librum Iobi explicandum* proponet.

Dr. IO. PHIL. TREFURT, Superint. gener. princip. Gotting. et Profess. honor. theol., tradet: privatim h. I-II. quaternis lectionibus *praecepta artis catecheticae*, adiunctis *primis exercitationibus practicis*, ad filum: „*Tabell. Leitsaden zu akad. Vorles. über die Pastorallehre.*” Publice h. I-II. diebb. Mercurii et Saturni; *Seminarii catech. Sodalium exercitationes* moderari perget. Praeterea de *privatissimis lectionibus Theologiae pastoralis*, addita *delineatione iuris eccl. protestantium generalis*, ratione habita illorum, quorum cognitio ministro verbi div. necessaria est, communicabit cum Commilitonibus, quorum intererit.

ORDINIS IURISCONSULTORUM.

G. HUGO h. VIII. *Encyclopaediam iuris universi*, quo utimur, ex octavo li-

bro suo, omissis tamen quae ad historiam iuris, quam internam dicimus, pertinent, h. IX. *Historiam iuris civilis s. Romani*, ex libro undecimo, h. XI. *Ius Romanum*, quo utimur, ex libro septimo sive *Institutiones* sive *Pandectas* eum dicas, quod tum primae in iure civili institutioni destinatus est, tum historiam iuris seponit, docebit.

ANT. BAUER hora IX - X. *Ius criminale* ex secunda compendii sui editione docebit; diebus Mercurii et Saturni hora II-III. civibus Nassovicis *Ius provinciale Nassoviense* tradet.

FRIDERICUS BERGMANN, Dr., h. II. *theoriam processus civilis* tradet; h. IX. quinques per hebdomadem collegium, quod vocant *processuale practicum*, h. X. ter per hebd. *relatorium* instituet, librorum suorum (*Beitr. z. Einl. in d. Praxis d. Civilprocesse, Anleit. z. Referiren*) subsidiis usurus.

C. F. MÜHLENBRUCH, Dr., *Pandectas* quotidie h. X. et XI. ex libro suo docebit; *Ius hereditarium* h. IV-V. quinques p. hebd. privatim quidem, iis tamen, qui Pandectarum scholis intererunt, tamquam harum scholarum partem tradet.

GEO. IUL. RIBBENTROP, Dr., privatim tradet hor. X - XI. *Institutiones iuris Romani*; hor. VIII-IX. *Historiam et antiquitates iuris Romani*; hor. III-IV. quinques per hebd. *doctrinam de Hereditatibus*, privatim quidem, sed iis, qui Pandectarum scholis interfuerunt, tanquam harum continuationem.

WILH. THEOD. KRAUT, Dr., quinques per hebdomadem hora XI-XII. *Ius publicum confederationis Germanicae nec non rerum publicarum eidem adscriptarum*; hora III-IV. *Ius ecclesiasticum, tam catholicorum quam protestantium*, tradet.

ORDINIS MEDICORUM.

C. I. M. LANGENBECK, Dr., Anat. et Chirurg. Prof., hor. XI-XII. diebus Lun., Merc. et Ven. *Osteologiam et Syndesmologiam* Iconibus suis osteologicis subsidiis exponet; hor. I - II. *Demonstrations anatomicas* Iconibus suis anatomicas subsidiis instituet; hor. X - XII. et hor. II - IV. *Cadaverum dissectiones* una cum Prosectori PAULI dirigit; hor. VI-VII. pomeridiana *Chirurgiae alteram partem* tradet; hor. IX - X. *Clinicen chirurgicam et ophthalmiatricam* in Nosocomio chirurgico dirigit. Privatissime instituet: 1) *Cursum chirurgico-manualem*; 2) *Cursum operationum ophthalmiatricarum*.

IO. GUIL. HENR. CONRADI, Dr., hor. III. *Pathologiam*, ex 6. compendii sui editione, atque *Therapiam generalem*, ex compendio suo, hor. V. *Pathologiae et Therapiae specialis* partem secundam, *profluvia, cachexias, neuroses et mentis morbos complectentem*, ex 4. compendii sui editione tradet, hor. X. *Praxin medicam* in nosocomio academico eique adiuncto Clinico ambulatorio docebit.

C. F. H. MARX, Dr., tradet *Doctrinam de remediorum effectibus atque usu* (quam *Pharmacodynamiken vel materiam medicam nominant*) quinques per hebd. hor. II-III. *Pathologiam et Therapiam generalem* totidem horis h. III-IV.

ED. CASP. IAC. DE SIEBOLD, Dr., hora VIII-IX. quinq. per hebd. *Artis obstetriciae doctrinam* exponet, simulque auditoribus aditum ad *Clinicen obste-*

triciam partusque observandos praebebit. Cursum operationum obstetriciarum cum explorationibus gravidarum coniunctum sex. per hebd. hor. II. siv. V. instituet. Cliniken obstetriciam sueto more hor. III. moderari perget. Medicinam forensem quat. per hebd. hor. IV. docebit.

IO. FR. OSIANDER, Dr., tradet h. IX. *Artis obstetriciae doctrinam secundum librum suum: Die Ursachen u. Hülfsanzeigen der unregelm. u. schweren Geburten. 2te Ausg.*

F. WÖHLER, Dr., hora IX-X. sexies per hebd. *Chemiam theoreticam experimentalem* tradet. In laboratorio academico *Exercitationes chemicas practicas* sueto more instituet.

A. A. BERTHOLD, Dr., *Physiologiam ad compendium suum (Lehrbuch der Physiologie des Menschen und der Thiere. 2te Aufl.)* hora VIII-IX. docebit et demonstrationibus experimentisque illustrabit; *Anatomiam comparatam*, adiunctis demonstrationibus in museo academico, hor. XI-XII.

C. H. FUCHS, Dr., sexies per hebdomadem hor. II-III. *Nosologiae et Therapiae specialis partem primam et quater per hebdomad. hor. V - VI. Neurosium et morborum, qui formae mutationem spectant, doctrinam* tradet. *Praxin medica* sueto more hora XI. in instituto clinico docebit.

RUDOLPHUS WAGNER, Dr., *Physiologiam et Embryologiam organismi humani cum histologia et anatomia microscopica* hor. X-XI. sexies per hebd. ad compend. suum: *Lehrb. d. Physiol. Leipz. 1839. 40.* docebit et experimentis illustrabit; *Historiam universae naturae praesertim organicae et generis humani, studiosis omnium ordinum accommodatam*, hor. III-IV. quater per hebd. tradet; publice animalium et plantarum distributionem geographicam docebit.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

CHR. GUIL. MITSCHERLICH publice h. XI-XII. diebus Lunae et Martis Seminarii Regii philologici Sodalibus *Delectum Idylliorum Theocriti* interpretandum proponet. Privatim hor. II-III. *Homeridarum et Callimachi Hymnos* explicabit.

A. H. L. HEEREN tradet *Historiam orbis antiqui* hora auditoribus commoda.

CAROLUS FRIDERICUS GAUSS hora X. *Methodum quadratorum minimorum eiusque usum in Astronomia, Geodesia Sublimiori et Scientia naturali* explicabit; lectionibus privatissimis *Astronomiam practicam* docebit.

IO. FRID. LUD. HAUSMANN hora VIII-IX. dieb. Mart., Iov. et Ven. *Agriculturam*, eademque hora dieb. Lun., Merc. et Sat. *Metallurgiam* tradet. Hora X-XI. sexies p. h. *Mineralogiam*, ex secunda libri sui editione docebit.

GEO. FRID. BENECKE privatim hora vespertina VI-VII. *Elementa linguae anglicae* tradet d. Lunae, Martis, Iovis, Veneris: hora vespertina VII-VIII. *Selecta poeseos germanicae saec. XIII. specimina* interpretabitur.

G. C. I. ULRICH, tradet *Mathesin puram* h. III., *Trigonometriam (planam et sphaericam) et Stereometriam* h. IV., *Mathesin adjectam sive Statices et Mechanices elementa, eorumque in machinis et architectura usum* h. I-II., *Geometriam et Stereometriam analyticam* h. XI.

CAROLUS HOECK quinques per hebdom. hora IV - V. *Historiam antiquam universalem tradet.* — *De antiquitatibus vitae Romanorum privatae ager hora e tabulis publicis indicanda.*

GEO. FRID. GUIL. MEYER hora XI - XII. *Culturam sylvarum et Tutelam ac Politiam sylvarum explicabit.*

F. TH. BARTLING hor. II. dieb. Merc. et Sat. *Ordines plantarum polypetalorum,* hor. XI. d. Merc. *plantas in Horti acad. hibernaculis florentes publice demonstrabit;* hor. III. dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. *Organographiam et Physiologiam plantarum,* hor. I. dieb. Merc., Iov. et Sat. *Vegetabilium cryptogamorum historiam tradet.* — *Excursiones botanicas solito more instituet.*

HENRICUS RITTER *Systema philosophiae practicae docebit quinques per hebd. hor. X - XI. Historiae philosophiae partem posteriorem seu historiam philosophiae recentioris usque ad novissima tempora deductam tradet quinques per hebd. hor. II - III.*

CAR. FERD. RANKE h. I - III. die Saturni *Seminarii regii paedagogici Sodalium exercitationes moderabitur;* privatis scholis h. X. quater p. hebd. *Aristophanis Nubes enarrabit.*

RECITATIONES EXTRAORDINARIAE. ORDINIS THEOLOGORUM.

GUIL. HENR. DOROTH. ED. KÖLLNER h. IX - X. *interpretabitur Epistolas quas S. Paulus ad Romanos et ad Corinthios dedit,* senis per hebd. lectionibus; h. XI - XII. *exponet Theologiam christianam moralem quinis scholis;* h. II - III. *systemata dogmatica Lutheranorum, Catholicorum, Reformatorum et Socinianorum inter se comparabit* duce B. PLANCKIO: *Abriss einer histor. u. vergleichenden Darstellung der dogmatischen Systeme uns. verschied. christlichen Hauptpartheien.* Gött. 1822. quaternis p. h. scholis.

CAROL. THEOD. ALBERT. LIEBNER, Dr., *Seminarii Regii homiletici Sodalium exercitationes moderari consueto more perget die Merc. hor. II - IV;* privatum *Artem homileticam docebit dieb. Lun., Mart., Iov. et Vener. hor. III - IV.*

ORDINIS IURISCONSULTORUM.

HENR. ALB. ZACHARIAE, Dr., tradet *Processum criminale,* duce libro suo: *Grundlinien des gem. deutsch. Crim. Proc.,* iunctis *practicis exercitationibus,* quinques per hebdom. hor. II. postmer.; *Historiam imperii et iuris publici germanici,* quater per hebdom. hora III.

HENRICUS THÖL, Dr., tradet *Ius mercatura ex libro suo Das Handelsrecht,* quater per hebd. hora XI. Collegium, quod vocant *civile practicum instituet* ter per hebd. hora V.

ORDINIS MEDICORUM.

ERNESTUS GUILIELMUS HIMLY, Dr., postquam ex morbo convaluerit, *lectiones suas indicabit.*

IO. HENR. CHR. TREFURT, Dr., sexies per hebd. hora VIII - IX. *Tocologiam tradet. Cursum operationum obstetriciarum hora V-VI. instituet. Iis qui fortasse privatissime in Artis obstetriciae parte practica exerceri cupierint, horis commodis vacabit, et quotiescumque fieri potest partuum observandorum occasio- nem praebet.*

CH. G. TH. RUETE, Dr., tradet *Materiam medicam et artem formulas me- dicinales consribendi*, hora IV-V.; *Morbos oculorum et aurium, aegrotis et iconibus adhibitis, explicabit*, hora II-III.; *Morbos pulmonum et cordis, praecipue respiciens usum instrumenti, quod stethoscopium vocatur*, hora V-VI.; *Operationes circa oculorum et aurium morbos suscipendas; privatissime examinando Pathologiam et Therapiam.*

AUG. GRISEBACH, Dr., *Anatomiam et Physiologiam plantarum, addita utriusque regni organici comparatione, quater per hebdomadem tradet et d. Sa- turni ope microscopii illustrabit h. XI.; Geographiam physicam d. Merc., Iov., Vener. h. IV. docebit. Exercitationes botanicas practicas offert.*

B. C. R. LANGENBECK, Dr., hor. VIII-IX. *Anatomiam pathologicam quinques p. hebdomad. tradet; Exercitationes practicas medico-forenses binis p. hebdomad. horis moderabitur. Privatissimas scholas offert.*

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

CAROLUS OESTERLEY, Dr., quinques per hebdomadem hora IV-V. *Historiam artis picturae, statuariae et architecturae enarrabit; hora VI - VIII. diebus Lun. et Iov. exercitationes eorum moderabitur, qui viva exempla delineando imitari volunt; privatissime docebit etiam artem delineandi et pingendi.*

AUG. GUIL. BOHTZ *Psychologiam diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hora II-III. tradet. Historiam Germanorum literariam inde a Klopstocklo usque ad nostra tempora enarrabit hora X-XI.*

F. G. SCHNEIDEWIN, Dr., publice *disputationes sodalium Seminarii Regii Philologici moderabitur die Mercurii hora XI - XII. Privatim Grammaticae Graecae partem alteram, h. e. Syntaxin sermonis Graeci, docebit, quinques per hebd. hora II-III. Privatissime juvenes linguae Graecae atque Latinae studiores in crisi et interpretatione difficiliorum scriptorum exercet.*

ERNESTUS LUDOVICUS a LEUTSCH, Dr. phil., publice Seminarii Regii philologici sodalibus *Virgilii Aeneidos librum sextum explicandum proponet, dieb. Iov. et Vener. h. XI-XII. Privatim Aristophani Ranas explicabit, quin- quies p. hebd. h. III-IV. Privatissime Pindari carmina selecta interpretabitur hor. IX-X.*

IO. FR. CÉSAR *Historiam literarum francogallicarum quater per hebd. hora commoda tradet; scholasque duas in gallice scribendo et loquendo quinques p. h. alteram hora V., alteram hora VI. solito more habebit. Privatissimas scholas continuabit. — Denique ad cuiuslibet gallici scriptoris explanationem nec non ad exercitationes privatissimas in arte gallici scribendi acta diplomatica (Dipl. Styl.) sese offert.*

GUIL. HAVEMANN, Dr., hora III. quinques per hebd. *Historiam pae-*

cipiorum Europae regnum inde a saeculo sexto decimo usque ad tempora nostra leget; hora XI-XII. dieb. Lun., Mart., Iov. et Vener. Historiam brunsvico-lunaeburgensem tradet.

IOANNES BENEDICTUS LISTING, hora II. *Physicen experimentalem* tradet; lectionibus privatissimis de *machinis vi vaporis aquae motis* theoriam cel. DE PAMBOUR secuturus aget.

* * *

GOTTF. DANIEL. AUWERS, rei equestris magister, *Artem equitandi* tradet senis per hebd. horis; *Exercitationes equestres in hippodromo regio sueto more continuabit*; denique de *equi corpore et specie* aget.

FRID. CAROL. LAPPE, Dr., Instituti Reg. veterinarii Director, tradet hor. I-II. *Anatomiam et Physiologiam animalium domesticorum rei rusticae inservientium*, quinques per hebd.; hor. II-III. *Pathologiam generalem animalium domesticorum*, quater per hebd.; hor. X-XI. sexies *exercitationes clinicas* instituet.

* * *

I. A. G. HEINROTH, Dr., *Cantandi exercitationes* quas *Singakademie* vocant, diriget die Lunae hora VIII. vesp.; *Artis musicae Theoriam* die Mercurii et Saturni hor. I-II. explicabit. *Crisis artis musicae* tradet diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris hor. I-II. *Artem concinne cantandi et clavichordium rite pulsandi* privatissime docebit.

H. M. MELFORD, Dr., *Linguae anglicae elementa* quaternis per hebd. scholis tradet hora VII., e libris suis: „*Vereinfachte Engl. Sprachlehre*, Braunschweig. Vieweg 1841, *The English Reader*, 2d Edit. ebend. 1837;” *Historiam literaturae anglicae quinquaginta ultimorum abhinc annorum nec non BYRON Mazeppa ex ed. sua Braunschweig. Vieweg 1834.* et W. SCOTT *Lay of the last minstrel* exponet, ternis per hebd. lectionibus hora I.; *Synonymiam linguae anglicae adiunctis exercitationibus practicis explanabit*, duce libro suo: „*Synonymisches Handwörterbuch der Engl. Sprache*, Braunschweig. Vieweg 1841. ter per hebd. hora II-III. Praeterea privatissime *linguas anglicam, franco-gallicam, italicam et hispanicam* docebit; *exercitationes* scribendi et potissimum loquendi continuabit.

RECITATIONES PRIVATIM DOCENTIUM.

ORDINIS THEOLOGORUM.

GEO. CHN. RUD. MATTHAEI *Evangelium Iohannis* interpretabitur, e principiis in libro suo: „*Auslegung des Evangeliums Johannes, zur Reform der Auslegung desselben*, Göttingen 1837.” explanatis sexies per hebd. hor. IX. *Doctrinam Christi de civitate atque de ecclesia*, tradet e principiis in libro suo: „*die Macht und Würde des Fürsten*, Leipzig 1841.” expositis semel per hebd., die Iovis, hor. I., gratis.

FRIDERICUS AUGUSTUS HOLZHAUSEN, Philos. Dr. ac Theolog. Lic., *Historiam ecclesiasticam universalem* enarrabit senis lectt. h. VIII. *Pentateuchum* interpretabitur h. X. Societatis historicae sodales *capitibus selectis Historiae ec-*

eclesiasticae Eusebii interpretandis exercebit. Historiam reformationis Ecclesiae uberiorum explanabit sensis lectt. hor. II.

ERNESTUS KLENER, Lic., *Psalmos hor. X., Iesiae vaticinia h. XI.* iunctis *exercitationibus exegeticis latino sermone usurus interpretabitur quinis per hebd. lectionibus. Grammaticam linguae Hebraicae hora III. totidem lectionibus exponet. Societatis studia, adhibito libro NITZSCHII „System der christl. Lehre,” ed. IV. 1839., sueto more moderari perget. Repetitorium de Theologia dogmatica offert.*

LUDOVICUS DUNCKER, Lic., *Historiae ecclesiasticae partem posteriorem enarrabit sexies per hebd. h. VIII.-IX.*

CAROLUS WIESELER, Lic., gratis *vitam Iesu Christi enarrabit dieb. Lunae, Martis et Veneris hor. II.; privatim Psalmos interpretabitur quinis lectionibus hor. X.; denique societatem exegeticam sueto more moderari perget.*

E Collegio Repententium.

IO. THEOPH. KUNO KRANOLD gratis ex officio *Christologiam prophetarum exponet addita potiorum capitum interpretatione diebb. Merc. et Saturn. h. I. Historiam regni Hannoverani et Brunsvicensis ecclesiasticam privatim narrabit. Priorem historiae ecclesiasticae universalis partem examinando repetet, idque gratis, latina lingua usurus d. Saturn. h. XI.*

CAR. GUIL. HAENELL gratis *pericopas evangelicas et epistolicas priori anni ecclesiastici dimidio addictas interpretabitur perpetua ratione habita usus homiletici die Lunae et Iovis hora II.; privatim Theologiam apologeticam ternis scholis tradet assidue STRAUSSII placita recensens hora commoda; repetitorii denique et examinatorii vacabit.*

ORDINIS IURISCONSULTORUM.

C. FRIDERICUS ROTHAMEL, Dr., *Ius ecclesiasticum h. X. tradet, Pandectas privatissime docebit, Ius feudale h. II. tradet; Examinatoria generalia et specialia more sueto instituet.*

CAR. IUL. MENO VALETT, Dr., tradet: *Institutiones et historiam iuris privati romani, hora VIII.; Pandectarum omnes partes, quarum una est ius hereditatum legatorum et fideicommissorum, secundum librum suum: Ausführliches Lehrbuch des praktischen Pandecten-Rechts, hora IX et XI.; Theoriam processus civilis secundum compendium Martinianum, hora II.*

FERD. OESTERLEY, Syndic. civit. Gotting., tradet *Iurisprudentiam extraiudicialem, i. e. iurisdictionem voluntariam quam vocant, de officio notariorum, et iurisprudentiam cautelarem, quater per hebdom. hora III-IV.*

COEL. ED. MOEBIUS, I. U. D. privatim tradet *Encyclopaediam et Methodologiam iuris universi quinq. p. hebd. hor. IX-X. et Institutiones iuris civilis, quo utimur, sex. p. hebd. hor. X-XI. Praeterea Examinatoria et Repetitoria super omnibus iuris partibus offert.*

S. BENFEY, Dr., *Processum civilem regni Hannoverani quater per hebd. hora III. tradet; Digestorum libros XVIII et XIX. hora auditoribus commoda interpretabitur. Privatissime Ius civile, processumque civilem docebit.*

F. B. GREFE, Dr., tradet *Historiam regni iurisque hanoverani quinques per hebdom. hora XII-I.*

G. F. SCHUMACHER tradet *Ius naturale s. philosophiam iuris*, quater per hebdomad. hor. IV.

GUIL. IUL. PLANCK, Dr., quinques per hebdomadem hora X. *Processum civilem* tradet duce compendio MARTINI *Lehrbuch des Civilprocesses*, Heidelb. 1838. neque iis deerit, qui privatissime *iuris Romani disciplinam* repete velint.

FRID. GUIL. UNGER, Dr. et praefecture Regiae Goettingensis Assessor, quinques p. h. hora X. *Encyclopaediam iuris universi* tradet ex conspectu cum auditoribus communicando; quater p. h. hora III. *Historiam et antiquitates iuris Germanici* explicabit, praetermissa tamen *iudiciorum historia*, quam die Saturni h. XI. vel etiam alia hora commoda gratis enarrabit, duce libro suo prope diem edendo (*Ueber die altdeutsche Gerichtsverfassung*). Denique iis non deerit, qui privatissime de *Iure privato Germanico* erudiri cupiant.

E. W. WOLFF, Dr., quinques p. h. tradet *Ius feudorum et mercimonii* h. III - IV.; *selecta iuris civilis controversi capita* quinques p. h. tractabit *exercitationes practicas* in his scholis instituet h. X - XI.

ED. WIPPERMANN, Dr., hora IV - V. *Ius publicum Germanicum* tradet neque iis deerit, qui vel *Pandectarum* vel aliam *iurisprudentiae disciplinam* repetere velint.

A. ZIMMERMANN offert *examinatoria et repetitoria de iure civili romano, de iure germanico privato, nec non de processu civili habenda*.

ORDINIS MEDICORUM.

L. A. KRAUS offert tradenda: *Pharmacologiam sive Materiam medicam secundum librum suum sub tit. wissenschaftl. Uebersicht d. Heilmittellehre*; hor. IV. *Nosologiam et Therapiam gener.*, e libro suo tub. tit. allg. Nosol. u. Therapie, wissenschaftl. dargestellt; hor. III. *Artem formulas medicin. concipiendi* e libro sub tit. das *Heilmittelverordnen*; hora audituris commoda; gratis.

I. H. PAULI, Dr., hora VII - VIII. vespertina *doctrinam de fasciis vincturisque chirurgicis* tradet; simulque in iisdem applicandis auditores erudit. — Privatissime *operationes in dentium morbis adhibendas* instituet: dentes artificiose faciendos, dentiumque series (quas dicunt *Gebisse*) construendas, iisque in primis dentes Parisienses ex vitro metallico (quod *Email* dicunt) factos inserendos docebit.

E. F. G. HERBST, Dr., hor. VIII - IX. quinques per hebdomad. *Physiologiam corporis humani* docebit, eandem experimentis et observationibus microscopicis illustraturus. *Pathologiam et Therapiam morborum infantum et mulierum* quater per hebdomad. hor. IV - V. vel alia magis commoda tradet.

CH. F. E. STROMEYER, Dr., hora VIII - IX. quinques per hebdomad. *Pharmaciam* tradet. hora X - XI. v. a. h. c. diebus Martis, Mercurii et Veneris *exercitationes chemicas practicas ad exploranda praeparata pharmaceutica* sueto more instituet. Praeterea *repetitoria et examinatoria de Pharmacologia, Pharmacia singulisque chemiae theoreticae partibus* offert.

CAROLUS BERGMANN, Dr., h. X - XI. quinques per hebdomadem *physiologiam* docebit; h. XI - XII. diebus Mart., Iov. et Ven. iis, qui iuri student *medicinam forensem* tradet.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

GEORGIUS H. BODE, Dr., Ord. philos. Assessor, privatim hora **II.** *Encyclopaediam philologicam* tradet; hora **III.** *Taciti historias* interpretabitur; privatissime *linguam Graecam et Latinam* docebit.

HENR. FERD. WÜSTENFELD, Dr., Ord. philos. Assessor, hora **VIII.** *Iobi librum* interpretabitur; hora **II.** *Introductionem in Vet. Test. libros* tradet. *Scholas Arabicas* horis commodis continuabit.

A. F. H. SCHAUMANN, Dr. iur. et phil. Ord. Phil. Assessor, quaternis lectionibus, quibus secunda editio libri DAHLMANNI: „*Quellenkunde der deutschen Geschichte. Göttingen 1838.*” fundamentum erit, *Historiam Germaniae* hora **II-III.** docebit. *Artem diplomaticam* docebit, simulque *exercitationes practicas scripturas veteres et diplomata legendi*, instituet.

AUGUSTUS BERNHARDUS KRISCHE, Phil. Dr., Ord. philos. Assessor, privatim *Historiam philosophiae antiquae* tradet senis per hebdomadem horis **III-IV.**; gratis *Aristotelis libros metaphysicos* illustrabit h. **V-VI.**, dieb. Lun. et lovis.

FR. GUIL. SCHRADER, Dr. phil., tradet hora **I-II.** *Architecturae civilis Theoriam*; horis commodis *Arithmeticam*.

C. FOCKE, Dr., docebit *singulas artium mathematicarum disciplinas* horis commodis.

ALB. LION, Dr., h. **X-XI.** *Demosthenis Orat. de Corona*, h. **XI-XII.** *Dionysii Periegetae carmen* una cum *Historiae Geographiae antiquae* explicabit, hora **I-II.** *Virgili Aeneida* interpretabitur, h. **II-III.** *Syntaxin Grammaticae Latinae adiunctis exercitationibus Latine scribendi* tradet. — Privatissime *linguas veteres et recentes* docebit.

H. G. KÖHLER, Dr. phil., docebit *Mathes. puram*, duce LORENZ *Grundriss der reinen Mathematik* quinques per hebd. hor. **III-IV.** *Technologiam* d. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. **II-III.** *Architecturam civilem* d. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. **XI-XII.** adiunctis *exercitationibus artis delineandi*. Ad privatissimas lectiones paratus est.

THEODORUS BENFEY h. **I-II.** diebb. Lun. et Mart. docebit *Grammaticam Linguae Sanscritae*, h. **I-II.** diebb. Iov. et Ven. interpretabitur *Nalum*. H. **III-IV.** quater per hebdom. *linguas Sanscritas (sanskritam, graecam cett.)* inter se comparabit.

M. A. STERN tradet *Analysin atque geometriae analytiae rudimenta*, quinq. p. hebd. hora **III.**; *Theoriam resolutionis aequationum numericarum* quater p. hebd. hora **XI.** Privatissime *Mechanicen* docebit.

ANDR. THOSPANN, Phil. Dr., narrabit h. **II.** quater per hebdomadem *Merita Leibnitzii in historiam Guelforum*.

C. W. B. GOLDSCHMIDT docebit *Theoriam magnetismi terrestris* quinq. per hebdomadem h. **X.** *Calculum probabilitatis* quater per hebdomadem h. **III.** *Astronomiam theoreticam* quinquies per hebd. hora **V.**

H. A. L. WIGGERS, Dr., *Repetitoria et Examinatoria de Chemia theoretica, Stoichiometria, Pharmacia, ceterisque Chemiae partibus* privatissime instituet.

CAROLUS HIMLY, Dr., *Physiken experimentalem* docebit quinques per hebdomadem hora **II-III.** *Exercitationes chemicas practicas* diebus et horis com-

modis in laboratorio suo instituet. Privatissime singulas *Chemiae Physicesque partes* repetendo et examinando docebit.

E. BERTHEAU, gratis h. I. diebus Martis et Veneris *linguam Chaldaicam* secundum grammaticam suam apud Vandenhoeck et Ruprecht edendam tradet et *selecta e libro Danielis capita* explicabit; privatim h. X. *librum Iesiae* interpretabitur; h. II. *archaeologiam bibliorum ss. cum historia Hebraeorum* exponet; privatissime *linguam arabicam* docebit. *Societatem exegeticam* sueto more exercebit.

FRIDERICUS WIESELER, Dr., gratis *praecipua monumenta artium a veteribus Italiae incolis cultarum* illustrabit, die Saturni h. XI-XII.; privatim *prae-missa isagoge universali mythologiam et religiones Graecorum veterum* explicabit, quaternis scholis, d. Lunae, Martis, Iovis, Veneris, h. IX-X.; privatissime *Artem criticam et hermeneuticam* docebit; *Societatem philologicam* regere perget.

GUILELMUS ROSCHER, Ph. Dr., privatim docebit *Doctrinam politicam et statisticam*, auditoribus omnium ordinum accommodatam, quinis per hebdomadem scholis, hora II-III.; *Oeconomiam politicam*, (*Nationalökonomie u. Finanzwissenschaft*) quinis per hebdomadem scholis, hora III-IV.

EDUARDUS WAPPÄUS, Dr., gratis *Geographiam et Statisticen Regni Hanoverae* tradet die Sat. hora XI. Privatim *Statisticen universalem* dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. h. XI.; *Geographiam universalem* iisdem dieb. h. V. docebit.

THEOD. TOEGEL, Dr., tradet privatim *Principia politiae sive internarum rerum administrationis theoriam*, imprimis ratione habita *status ac legum in regno Hannoverano valentium*, dieb. Lun., Mart., Iov. et Vener. h. XI-XII.; *Oeconomiam politicam* (*Nationalökonomie u. Finanzwissenschaft*) quater p. hebd. hora IV-V. dieb. Lunae, Mart., Mercur. et Iov.

GUIL. MÜLLER, Dr., publice d. Merc. et Sat. h. I. carmen *Hartmanni „der arme Heinrich“* ex editione in usum auditorum a se curanda ita explicabit, ut eos potissimum respiciat, qui haec studia incipere velint. Privatim *grammaticam theodiscam* tradet quater per hebd. h. V.

* * *

Musicam delineandique artem, nec non cultissimorum Europae populorum linguas ac literas tradent etiam alii viri intelligentes doctique, iisque lectionum suarum rationem tem-pusque loco solito indicabunt. *Saltationem armorumque tractandorum artem* stipendiis re-giis auctorati Magistri docent.
